



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bibliotheca Scriptorvm Sacri Ordinis Cisterciensis Elogiis Plvrimorvm Maxime Illvstrivm Adornata

Visch, Charles de

Coloniæ Agrippinæ, 1656

Capvt IX. Opinio illorum, qui dicunt quod sola ablutio corporis per aquam
sufficit ad remissionem peccati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38433

non est homini vxorem suam sine culpâ fornicationis dimittere; (a) & qui dimissam alterius in vxorem acceperit, adulter & mæchus iudicatur. Item, si Christum tantum fuisse Prophetam credunt, & de Virgine natum, & de flatu diuino conceptum, cur non celebrant eius conceptum, vel ortum?

CAPVT IX.

Opinio illorum, qui dicunt quod sola ablutio corporis per aquam sufficit ad remissionem peccati.

Affirmant etiam prædicti, solam corporis abluitionem per aquam factam, sufficere ad peccati remissionem; quod volunt multiplici autoritate probare. (b) Ait enim Ezechiel: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* (c) Et Ioannes fuit Baptizans in aqua tantum. (d) Naaman etiam ablutus in Iordane, liberatus fuit à morbo lepræ, (e) per quod signatum est, quod aliquis per solam aquæ abluitionem liberatur à peccati sordibus. Præfati Pagani his authoritatibus ducti, asserunt quodlibet mortale peccatum homini remitti per solam aquæ abluitionem, sine contritione vel confessione.

CAPVT X.

Responsio Christianorum.

AD hoc dicimus, quod sufficit discreto & adulto, corporis ablutio, sine contritione, & confessione; puero vero, non sine Trinitatis inuocatione, sicut superius in tractatu contra hæreticos multipliciter probatum est: Ezechiel autem aquam illam vocat mundam, quod sanctificetur per verbum, iuxta illud: *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Ioannes autem non baptizauit in peccati remissionem, vel sanctificationem, sed in significa-

tionem, nec peccata Ioannis baptismō remittebantur. Ablutio verò aquæ quæ Naaman purgatus est à lepra, signat baptismum Christi, quo quis liberatur à culpâ. Ablutio aquæ quæ sit peccati remissio in baptismo, iterari nō debet, quia significat passionem Christi & mortem, quæ iteranda non est, nec Sacramento baptismi debet fieri iniuria. Semel ergo valet aquæ ablutio, id est, baptismus, puero vel adulto, iterata verò non prodest. Errant ergò Pagani qui singulis abluitionibus corporum suorum credunt sibi remitti peccatum mortale. Si enim hoc esset, videretur esse peccati incentiuum. Isti etiam multa in lege veteri obseruant, & ita quodammodo Iudaizant, quia Poicum non comedunt, plures vxores simul ducunt, sed superius contra Iudæos diligenter probauimus, iam legem abolitam esse: & hoc Paulus multipliciter probat, & eum esse quasi Idololatram, qui legem Moysi obseruat ad litteram; quæ veniente veritate, debet vmbra cessare, & veniente signato, cesserit figura. Christus etiam ostendit eam esse consummatam, & in se esse impletam, cum dixit, Consummatum est.

CAPVT XI.

Opinio Iudeorum & Saracenorum contra Christianos, quia Christiani habent imagines in Ecclesijs.

Nobis etiam insultant Pagani cum Iudæis, quia habemus imagines in Ecclesijs nostris, & sculptilia, in quo videntur obuiare præcepto diuino, quod ait: *non facies tibi sculptiles, nec omnem similitudinem quæ est in celo vel in terrâ, vel in aquis, vel sub terrâ.* Et Propheta ait: *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, &c.* Christiani autem effigiant Deum sublimi sedentem folio, manuque porrectâ signantem, & circa eum magno dignitatis præstigio, Aquilam, hominem,

(a) Matth. 5. v. 31. & 32. (b) Ezechiel: (c) Ezech. 36. v. 25. (d) Marci I. (e) 4. Reg. 5. (f) Exodi. 20. v. 4. (g) Deut. 5. v. 8. (h) Psal. 96. v. 7.